

G. K.
415,
14.

Π i
2805

HISTORIAM
MELODORUM
ECCLESIAE GRÆCÆ

EURUMQUE

THEOLOGIAM POETICAM

è Menæis Librisqve Liturgicis
SUMME REV. FACULT. THEOL. LIPS.
Examini Die III. & IV. Julii instituendo
trahit

LICENTIAM GRADUS IN THEOLOGIA ALTIORIS

PETENS

URBANUS GODOFR. SIBERUS,

Antiqu. Eccl. P. P. O. & ad D.
Th. Ecclesiastes,

IMPRESSIT CHRIST. FRIDER. RUMPF.

A. R. S. M DCC XIV.



DEDICATIO.

MAGNIFICIS, ILLUSTRIBUS,
ET
EXCELLENTISSIMIS
VIRIS,
REIPUBLICÆ LIPSIENSIS
GUBERNACULA
INSIGNI JUSTITIA ET FELICITATE
MODERANTIBUS,
PATRONIS OPTIMIS
SAL. ET OBSERVANTIAM DEFERT
URBANUS GODOFRED. SIBERUS.

Iam integra effluxere Secula, ex quibus Majores
vestri, summa in Principes fide, integritate &
justitia in Cives, benevolentia in hospites, be-
nignitate in uniuersum mortalium genus æter-
nas nomini suo laudes contraxerunt. Quorum
dum vestigia non modo premitis, sed longo etiam
spatio superatis, jam diu vobis reapse contigit,
quod laudatus ille Romanorum Imperator
somnia sensit, ut omnis propemodum orbis,
fidibus, cythara, tympano, vobis in occursum eat.
Quidni vero horum exercitum sequerer? qui ve-

DEDICATIO.

stra benignitate sanctiori urbis hujus sodalitati
insertus & beneficiis suctis & insolitis maectatus
fui. At quum recorder, unicam mihi tantum esse
linguam, eamque non satis elegantiae assuetam,
e dignitate & excellentia vestra fore putavi, si
omnes totius Graeciae sacros Hymnographos
conducerem, eosque ad Carmen Evcharisticum
tantis decantandum viris concitarem. Concede-
datis igitur Illustres Viri, ut suo quisque ordine
in conspectum vestrum prodeat, suaeque in Nu-
men pietate declarata, reliquo simul orbi patefa-
ciat, sese vestro beneficio, e Graecia accitos, Urbis
vestrae Cives factos esse. Ego vero, dum arcta cum
iisdem familiaritate fruor, illam artem discam, ut
divinitatem religioso carmine placare, Vobis ve-
ro, Optimi Patroni, justo obsequio placere que-
am. Deus Magnif. & Illustr. ordinem ve-
strum servet. Script. Lipsiae die III. Julii
A, MDCCXIV.

Dum



§. I.

Dum vitas & Historiam Melodorum Græcorum, eorumque Theologiam Hymnis, aliisque cantionum generibus intexam describere paro, ante omnia dicendum reor, quinam ante me in hoc Scripturæ genere desudarint. Atque illico deprehendo *Leonem Allatium* hominem Græcum, hujusque rei admodum peritum, isto desiderio fuisse incensum, ut quotquot Melodorum nosset, eos sese editurum polliceretur; veruntamen constat eum ultra Indicem, ac ne perfectum quidem non processisse. Unde licet *Baillerus* in *Vitis sanctorum* ad Hymn. Allatii provocet, dubito tamen, an ea citatione, opus illud tamdiu promissum expectatumque designetur. Mirum hercle istud *Allatii* Opus ab *Historiographis Sanctorum* non inventum esse, licet univ-
Bailet, Menf. Oâtohr, p. 228.

A 3

Ante

* *Papebrochius* die XXX. Apr. p. 788. Quæsvimus diligenter, undenam haberi posset iste Allatii Tractatus, sed neque Parisiis, ubi notiora quam alibi sunt eruditissimi viri opera quicquam de eo compertum habent, qui pleraque ejus se nosse putant; multi
eti-

§. II.

Ante *Leonem Allatum* vel de Hymnis, vel de Hymnographis Græcis aliquid molitus dicitur *Joannes Buteo Delphinus* Sodalis Antonianus, artium Mathematicarum & juxta Græcæ linguæ callentissimus, & Musices admodum gnarus, *Tbuano Voffioque* laudatus & nuper a *Victore Sylvio Grandi* J. V. D. & Pro-
 to-Notario Apostolico in Historia Ecclesiastica citatus, testante *Voffio*, opera illius Lugduni apud *Thomam Bertelium* A. MDLIV. edita fuisse: sed quæ nostra infelicitas est, nihil harum lucubrationum ad nostras manus venit.

Grandi H. Ec.
p. 138.

§. III.

Post utrumque *Simon Wagnereckius* Sodalis Jesuiticus in Pietate Græcorum Mariana Prolegomena edidit Vitas quorundam Hymnographorum Græcorum *Charitonis, Euthymii, Theodisti, Sabe, Sophronii, Joannis Damasceni, Romani Emeseni Cosma Hierosolymitani, Germani, Theodori Studite, Josephorum, Theophanis, Scephani Sabaitæ, Jobii, Andreæ Cretensis, Joannis Evchaitæ, Georgii, Anatolii, Tarasii, Joannis Archiepiscopi, Symeonis Logothetæ, Philothei, & Leonis completentia: sed ea sunt pauca, confusa, insufficientia, non ad temporum rationem composita, judicio*

etiam negant tale quippiam ab eo vulgatum. Sed id ipse nimis clare asserit quam ut possit negari in Diatriba de Georgiis, ad nomen Georgii Siculi, ubi quædam a se prætermitti excusat, cum id, inquit, in Tractatu meo de Melodis Græcorum latius peregerim.

Wagnereck in Prolegom. Pietatis Marianæ Græcorum p. 37. Enumerat *Leo Allatius* Hymnographos Ecclesiæ Græcæ, sed cum recitasset nomina sola, ne de unico quidem eorum, quis fuerit, aut quando vixerit profert. Nihil igitur ab hoc doctissimo homine adjumenti habere potui.

cio sapius destituta, eaque propter ab ipsis Historiographis Sanctorum, licet sodalibus, non magni habita, sapius etiam correcta. Unde & nobis, si qua illius mentio erit facienda, id ita fiet, ut ab omni quidem acerbitate, non tamen veritate abstineamus,

§. IV.

Inter Historiographos Sanctorum *Nicolaus Raryeus*, repetito ob deperditos Hymnographos Allatianos questu, vultus Melodorum, quales in fronte Anthologii incisi reperiuntur de-
nuo exhibet, neque tamen ad sarcendam jacturam quicquam profert, Spartamque istam cum nostra diligentia mari-
tandam relinquit; eos excipio Hymnographos, quos Historiographi sub titulo sanctitatis Actis inseruerunt, benignique
viam ad rectius eosdem cognoscendos straverunt,

§. V.

E nostris, paucis abhinc annis Christianus Eschenbach Professor Altorsinus vir diligentissimus in Dissertatione de
Poëtis Christianorum Sacris, generatim Poëtas Græcos refert
*Triphyllium, Apollinarem, Gregorium Nazianzenum, Eudociam
Synesium, Basilium Seleuciensem, Nonnum, Amphilochem, Petrum
Edessenum, Theodorum Prodrum, Georgium Pisidem, Theanum,
Joannem Damascenum, Cosmam, Marcum Hydruntinum, Simeonem
Metaphrastem, Michaelem Psellum*: plures a se repertos non esse
professus, quod non miramur, quum raro eorundem hymni
reperiantur, neque præter Menæorum libros, & Joannis
Evchaitæ & Geometræ impressa carmina facile extant. Quo
factum ut in Canonis descriptione vix satis explicet, quid in
Choro Ecclesiastico ea voce sit designatum, quum id ex Me-
næis, multo rectius quam ex Allatio, Cangio, aut Caveo co-
gnoscatur.

§. 6. Tan-

§. VI.

Tandem Vir Summe Rev. & Excell. J. Alb. Fabricius St. Theol. D. & ap. Hamburgenses P. P. Bibliotheca Gr. Libr. V. ad calcem Dissertationum Leonis Allatii de Libris Ecclesiasticis Græcorum ejusdem Catalogum de Melodis antehac quidem editum, sed rariorem, denuo typis mandavit, additis aliquando brevioribus Notis ex Ducangio, Lambecio & Historiographis Sanctorum depromtis. Atque hunc CL. Virum, eum esse fateor, a quo animo meo faces additæ, ut manum huic operi adjicerem, haudquaquam dubitans, eundem publicerogatum, qua facultate pollet, suppetias esse laturum, & Scripturæ jamjam consumatæ sua ornamenta benigne additurum esse.

§. VII.

Posteaquam igitur nobis constitit, a Leone Allatio nihil esse sperandum, a Wagnereckio rem levi brachio esse tentatam, Rayem laboribus alio vocatum, Eschenbachium libris subsidiisque destitutum: nos accersitis præcipuis Græcorum libris Ecclesiasticis, e beneficio splendido Magnifici Senatus Lipsiensis in meam Bibliothecam coëmptis, negotium tentavi, neque tantum e Libris illis Catalogum Allatianum supplevi, sed ex aliis Græciæ sacre monumentis eundem auctiorem feci, quin imo ipsas etiam Hymnographorum vitas, studia, Theologiam, insertis ejusdem exemplis exhibui, brevi examini subjecti, isthac spe fretus, non ingratham Antiquitatis sacre amatoribus operam ea re præstitam esse. Quod rectius apparebit, dum sequentes illi Græcorum Melodi, ordine Alphabetico collocati, sed Chronologico describendi jam in lucem publicam prodibunt.

In-

§. VIII.

INDEX MELODORUM GRAECORUM.

Argeli, Angelus Matheus, Alexius, Anatolius Monachus Studita, Andreas Cretensis, Andreas Pyrrhus, Anthimus, Apollinaris, Arius, Arsenius, Amphilocheus, Anastasius, Athanasius Al. Athanasius alter, Athenogenes, Auxentius, Babylas, Bardesanes, Bartholomeus Melodus, Basilius Pegariota, Beryllus, Briso, Byzas, Cassiana, Christus, Christophorus Proto à Secretis, Clemens Alexandrinus, Clemens Studita, Constantinus, Cosmas Majumensis, Cyprianus Monachus, Cyrillus Alexandrinus, Christophorus Gangrensis, Cumulus, David, Demetrius, Dorotheus Emanuel Palæologus, Emanuel Phile, Emanuel Rheror, Ephrem Syrus, Ephrem Carius, Euphrates, Eustathius, Euthymius, Gabriel, Georgius Nicomedienfis, Georgius Cor. Georgius Ram. Georgius Pamphilus Georg. Siculus, Germanus Patriarcha, Hierotheus, Hippolytus, Hierax, Ignatius, Joannes Chrysoft. Joannitius, Jacobus Monachus, Josephus, Josephus Cucuzeles, Joannes Arclas, Jo. Grassus, Jo. Geometra, Joannes Mauropus, Jobius, Joannes Cucuzeles, Isidorus, Justinianus Imperator, Justinus Decadio, Justinus Martyr, Jo. Thessalonicensis, Josephus Diaconus, Leo Sapiens, Leo Magister, Marcus Mon: Martha, Matheus Cariophyllus, Mauroleo, Mauritius Imperator, Mennas Calliceladus, Methodius, Metrophanes Smyrnenfis, Michael Syncellus, Michael Phile, Michael Pfellus, Neētarius Ab. Casularum, Nicephorus Callistus, Nicephorus alius Patr. Nicetas Heraclas, Nicodemus, Nicetas Hydruntinus, Nicolaus Patriarcha, Nicolaus Callicles, Nepos, Naucratius, Nicolaus Malaxus, Nicolaus Grassus, Nilus Doxopatrius, Nilus Rossanensis, Nilus Xanthopulus, Paulus Ammonius, Pamphilus, Philippus, Photius Monachus, Photius Patriarcha, Plato, Procopius, Romanus Emesenus, Sergius

B

Sime-

Simeon Logobeta, Symeon Stylita, Simeon Xylocercinus, Sophronius, Synesius Senior, Synesius Junior, Stephanus Hagiopolita, Stephanus Sabaita, Theodorus Studita, Theodorus Santabareus, Theodoretus, Theodorus Catonensis, Theodorus Ducas, Theodorus Prodromus, Stephanus a Secretis, Theophilus, Theophrastus, Theodosia, Theodosius Siccota, Theodosius Syracusanus, Theophanes Graptus, Theophilus Imperator, Thomas Monachus, Timocles, Triphyllius, Valentinus.

§. IX.

His necessario præmissis de Melodiæ Ecclesiasticæ initiis dicendum, quæ ex propinquo miris solo repetunt, qui ejus instituendæ Essenos aut ipsos etiam Gentiles incentores faciunt, quasi nempe Christiani, pia æmulatione incensi, vota pedestri olim stylo prolata, in sonos tandem revocarint. Unde ad ipsa antiquissima Ecclesiæ ante eluvionem existentis tempora progredior, quæ, quam Patriarchas divinum Numen celebrantes habuerit, nobis sane validum argumentum præbet, laudes eas non inani silentio compressaque voce, quod vani quidam impostores, majorum Patrumque nostrorum tempore voluerunt, sed sonora, addo etiam, modulata peractas esse. * Arque illud doctissimi aliquot, & maxime religiosi gentilitatis magistri censent, morem divinitatem cantu placandi, esse perentinem, atque tum coepisse, quum homines fierent. Et si mortales etiam dulcissimam rationem colloquendi cum Deo per cantum ignorassent, putaverim eos vel

ab

* Hos Hesychiastas excogitato vocabulo *Thomas Hurtado* in Resolutionibus de Martyrio F. dei Digress. IV, *Mentalizantes* appellat: eorum opinio erat, non esse in statu gratiæ, qui non horam unoquoque die vacaret orationi mentali.

ab ipsis etiam coelitibus, de ea edoctos fuisse, neque Esaiam fuisse primum, qui ad angelicæ modulationis auditum admittetur.

§. X.

Ceterum commune Doctorum suffragium eo tendit, homines quum e Theologia naturali nosset Deum esse colendum, id suo pte studio quamvis rudi & inconcinno, addo etiam, quousque revelatione carebant, indigno id ipsum fecitasse, quum vel ad creaturas, umbram aliquam Majestatis habentes flecterent, aut ea dicerent, quæ cum decore divinitatis haud quaquam convenirent. Eaque propter a *Vossio*, accurato alioquin Viro, mihi discedendum puto, qui licet Musicam ab orbe usque condito revocet, minus tamen provide putat, vocem mortalium cantandis primum amoribus, atque deinceps sopiendis lactantium puellorum singultibus adhibitam esse, cujus opinionis suæ Scaligerum assertorem facit. Hinc pulchrum argumentum, sistit, quo cantum oris probet, nempe Instrumenta Musica per Jubalem inventa, cujus Adamus tritavus erat. *Cui inquit, verosimile fiat, cum jam tum Musica fuerit, que manuum indiget Ministerio, non antea eam obtinuisse, que ore exercetur?* Ceterum istam priorem opinionem emendasse videtur, quum paulo post monet, *Romanorum Poësin non nisi in laude deorum consitisse.* Hinc enim ipsemet divinare poterat, si Romanis, tantopere ab illa origine divina alienis, tantum prudentiæ supererat, ut vocem ad laudes Deo debitas converterent, quanto magis putandum homines ab opificio divino quasi adhuc calentes, atque potissimum receptus sui in gratiam memores, si laudarent, Deum celebraturos fuisse.

§. XI.

Quæ licet non extent laudes, aut si quæ extent, fabulosa pro veris subditæ fuerint; attamen quum Servator noster

B 2

pri-

primi hominis Antitypus, isque cultus divini instaurator, hymnos cecinerit, & Paulus hos, qui a Spiritu divino occupantur, ad hymnos & Psalmos concitarit, iusta putamus opinione statui, & Adamum ipsum & posteros ad cantum sacrum proclives extitisse, neque Melodos Græcorum errasse, quum Adamum, elegantissima fictione, fingunt e regione Paradisi confedissee, & humili questu divinam indies gratiam cantu flagitasse.

§. XII.

Quod de Adamo, id de illius posteris, multo certius constat, quos natali quidem solo, moribusque diversos, Græci tamen Christiani jure civitatis donarunt, interque Melodos receperunt, tanta hercle benevolentia, ut *Allario*, solum Davidem citanti, plures adhuc offerendi restent. Hos, cantus, & Acolithiæ constituendæ, apud Græcos fuisse auctores, adeo certum, ut monumenta vetusta aut everfurus aut cœco contentu neglecturus sit, qui id negare contendat. Horum odæ & cantica, vel quocunque nomine appellentur in Ecclesia constituta sunt, tanta contentione & industria, ut Lectioni Prophetarum & Evangelii & Apostolorum nihil plane fuerit additum nisi Doxologiæ & hæ ipsæ quidem e sacris literis petitiæ, deinde accessionibus quibusdam poscente temporum & ingeniorum protervia locupletatæ, de qua illarum variatione Academia nostræ Theologus Primus *Adamus Reichenbergius*, prolixius differuit. Quod si etiam preces Hymnorum nomine comprehensæ, poscente necessitate publica conderentur, apparebit, præsertim e Cyrilli formulis, easdem solis prope Scripturæ verbis fuisse constructas, huncque morem a. B. *Arndio* & aliis quibusdam tutissima ratione denuo expressum esse.

§. XIII.

§. XIII.

Extra Ecclesiæ muros peritiores Christiani, iique profanis simul artibus imbuti suos condebant hymnos, sed privatis usibus cessuros, in quem ordinem *Clementis Alexandrini Strophas* referimus, nunquam in Ecclesiis, sed in Scholis forte, quarum ille Magistrum agebat, decantatas. * Nec dubitamus id ipsum *Gregorii Nazianzeni, Apollinaris, Synesii Cyrenensis* hymnis nimia elegantia, & profanorum imitatione superbientibus contigisse, quum nullum utique carminum ab iisdem compositorum, quemadmodum in operibus extant, vel in Menæis, vel in Triodiis, Paracleticis, Pentecostariis, Anthologiis, aut Horologiis legatur. Ac quum præterea in iisdem libris innumeri occurrant hymni, non in templo, sed in cellis tantum & cœnaculis Monachorum cani soliti, ne inter istos quidem, prælaudatorum horum carmina, quippe a Scripturæ S. simplicitate nimium distincta, reperiuntur.

§. XIV.

Uberrimum hujus castitatis testem habeo Hieronymum, qui quum Donatistæ hymnos θεοπνευστὰς fastidirent, Epistola XXI. de celebratione Paschatos in eosdem invehitur, & Orthodoxæ Ecclesiæ, divina oracula retinentis consuetudines præfert. De hymnis ait, & Psalmis canendis, cum & ipsius Domini, Apostolorumque habeamus documenta & exempla, & præcepta, de hac re tam utili ad movendum pie animum, & accendendum divine Lætionis affectum varia consuetudo est, & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt, ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie canimus in Ecclesia divina Cantica Prophetarum, quum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio

B 3

ex-

* Ad Carmina Christianorum in Scholis usitata, refero quæ Eusebius L. V. C. XXVIII. scribit. ψαλμοί τε καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πικρῶν γραφῆσαι, τὸν λόγον τῆ θεῆ χειρὶν θεολογῶντες.

excogitatorum quasi ad tubas exhortationis inflamment. Ita Hieronymo teste seculo vigente V. Psalmi tantum & Cantica Prophetica, aut aliorum *ᾠδῶν* in pretio fuerunt, quemadmodum in Ecclesia Judaica, quæ præter illa Davidica & in Fœderis antiqui tabulis contenta carmina, Hymnos alios ostentare nequit. quum quæ de Essenis Philo tradidit, ad privatam eorum religionem pertinuerint.

§ XV.

Deinceps sensim & nullo fere advertente Meodia divina augeri cœpit, idque diversis modis, quorum quosdam recitare præstat, sed ea modestia, ut certiorum gnaro leges neutiquam præscribantur. Tenue initium factum erat a Martyribus pro gloria & Majestate Christi decertantibus, qui quum graves aliquando contumelias Christo Deo suo a gentibus inferri non sine luctu & indignatione sentirent, suas illico doxologias & laudes, Persecutorum blasphemias obstructuras opponebant, easque vel breviores vel largiores, a Christianis spectatoribus exceptas & illico pugillaribus inscriptas. Harum Doxologiarum exempla apud *Theodoricum Ruinarium* extant, pluresque apud Historiographos Sanctorum deprehenduntur. Atque ea res permovit Basilium ut de Doxologia Hymno matutino inserta, ad Athenogenem Martyrem provocaret, qui inter cruciatus & maxillarum contusiones Psalten egit, multo quidem fortiore & sanctiore animo, quam quem Bartholinus in sua gente tantopere celebravit.

§ XVI.

Deinde quum Christiani cernerent, a profanis, & gloriam & doctrinam Domini sui, inter spectacula & ludos eludi, Satyrasque componi, nihilque non ad prosternendam veritatem excogitari; tum ipsi laudabili obrectationis studio, suas
com-

componebant laudes, quas Catechumenis traderent, hacque salutari medicina suorum animos præmunirent. Accedebat Hæreticorum, in lata segete procrefcentium versutia, qui cum hymnos erroribus infertis plenos necerent, quales a Bardesane pauloque post a Paulo Samofateno perfidiæque Sæctatoribus factos esse constat: tum Veritatis Magistri suos opponebant, non prolixis quidem cantionibus, sed unica sæpe voce doxologiis inserta, quæ perceptu facilis memoriam humanam non obrueret, sed totum negotium concinno compendio explicaret. * Meretur hoc loco qui studiose legatur Socrates H. E. L. VI. c. VIII, quo tradit Arianos cecinisse *ὁδὸς ἀντιφώνες πρὸς τὴν Ἀρειανὴν δόξαν συντιθέντες*, idque noctu pariter & interdiu fecisse. Quibus cum *ἐρεθισμὸς κατὰ τῶν τὸ ὁμοῦσιον φρονούντων* inferuissent, Joannes Chrysofomus quosdam opposuit, qui nocturnos perinde Hymnos cantando, Arianorum studium obscurarent, & suos in professione fidei confirmarent.

§. XVII.

Ex hoc Socratis testimonio patet, ex Hæreticorum canticis impuris, puros & orthodoxos piorum hymnos esse natos, atque sine dubio eosdem a Joanne compositos, qui optime sciret, quæ verba Arianis opponenda essent: quod & innuit Socrates ad finem capitis VII. art. *ταῖς διδασκαλίαις ἠνθεῖ καὶ διαβοητος ἐπὶ ταύταις ἦν. ἤνυξσε τε πρῶτος καὶ τὰς περὶ τὰς νυκτῶνας ὕμνας εὐχὰς, ἐξ ἧς τὰς τοιαύτας.* Non satis equidem perspicue scripsit Socrates, hoc tamen exinde exsculpimus, 1) tempore quo Joannes Præsulatum Urbis obtinebat, jam viguisse Hymnos nocturnos, qui quod ex Typicis patet, Psalmis Davidicis constabant. 2) Chrysofomum hymnos eosdem auxisse suis

* Euseb. L. II. c. 17. docet illas additiones Hæreticis æque atque Orthodoxis solennes *ἀεροκλήντια* appellata esse.

fuis, quod sequenti capite uberius demonstrat. 3) Chry-
 stomum fuisse *πρωτον* qui id fecerit Orthodoxiæ defendendæ
 gratia. Num Briso Eudociæ Eunuchus *ὁ συγγραφεὺς τῶν τῶν
 ὑμνων* simul Hymnos quosdam composuerit, in ipso Opere dis-
 quiram, quanquam vero simile non sit, ipsum, id, quod
 ad Episcopum pertinebat, occupaturum fuisse. Quæ porro
 Socrates refert, de Hymnodia per Flavianum in Ecclesiam
 derivata, id tantum de Psalmorum Antiphonia nun-
 quam non vsitata, & ne inter Persecutiones quidem neglecta
 intelligendum puto.

§. XIII.

Hanc singularitatem diu retinuerunt: at, quum Hære-
 tici non cessarent hisce cantionum illecebris simplices captare,
 certè iisdem artibus oppugnandi erant: ex quo factum, ut de-
 inceps in Ecclesiam Orthodoxam Hymni paucis primum, mox
 pluribus tropariis constantes susciperentur, non tamen ea au-
 ctoritate, quin denuo proscriberentur, quod in Ecclesiis
 Occidentalibus Ambrosii & Hilarii hymnis contigit, nempe
 ne illorum cautis receptis aliorum juxta minus providorum,
 aut data opera seducentium reciperentur. Quæ patrum no-
 strorum ætate circa Hymnotaxin contigerint, legi merentur
 apud *Gisbertum Voetium*, Polit. Eccl. T. I. p. 527. & seqq.

§. XIX.

Quum postea Christianus Orbis in factiones veluti quas-
 dam & partes scinderetur, hæreticique non singuli, sed agmi-
 natim incederent, Hymnis longis & prolixioribus refutati
 sunt, sic, ut illa doctrinæ capita, de quibus litigatum, inque
 Conciliis sententia lata esset, Odis innecterentur, quo nempe,
 per cantus iterationem, memoriæ hominum sine labore in-
 scri-

scriberentur. Ita reperire licet Hymnos Myſterium S.S. Tri-
nitatis, Incarnationis, duarum naturarum, & voluntatum in
Chriſto, Mortis, Reſurrectionis, Adſcenſionis complectentes,
& difficillimas quæſtiones aliquot verſiculis abſolventes. Ho-
rum aliqui, quod ſolum dogma traderent, Dogmatici ſunt
appellati, quia totius rei caput ſuccincte & ſolide explicarent.

§. XX.

Aliquando hiſtoria quoque controverſiarum intexeba-
tur, quale quid in *Lizicianorum* hæreſi falſo credita contigit,
quam ſolo auctoris nomine excepto nemo inter omnes per-
ſpicue tradidit, perituram, niſi in Hymnis diſtincta & accurata
illius notitia tradita eſſet. Hinc enim videmus, Lizicianos, per-
verſo Theodori Studitæ odio, Hæreticis additos & Anathemate
percuſos, quod Iconolatricam admittere nollent.

Triodium Pag. 148. ex Canone Theod. Stud.

ἀρχὴν θέλωσαν λοιπὸν καὶ ἐντραπέτωσαν μεμνηότες. Λήξῃ ὁ δεινός, καὶ Ἀνθί-
νιος σὺν τῷ Ἰωάννῃ καὶ Θεόδωρος ἀμφὸν οἱ ἀρνήſαι τῆς πίſτεως.

Πνεῦμα τὸ πολλὸν ἔρημον καὶ βλαſφῆμον ἰύξιν ὁπέπαυſαι, τὸ λαλῆν δια-
καλὸς ἡμέραν καθ' ἡμέραν κατὰ τῆς θείας μορφῆς Χριſτῆ καὶ τῶν
ἁγίων.

Τὸ σῶμα σε διηνοιξας ἄθλιε ἐν ἐν ἰδοῦς, πνευματικῶς ἀλλ' ἐν βλαſφημίαις
κατὰ τῆ σε Δεσπότη ἀπωθῆμενος τὴν σεπτήν εἰκονεργίαν.

Et nemo hercle diffitebitur, iſta in veritate defendenda
ſuum habuiſſe uſum, neque audiendum eſſe *Voëtium* ſuaden-
tem, dogmata certo tempore agitata memoria vulgi hymno-
rum beneficio tradenda non eſſe.

XXI.

Post Iconomachicas turbas, atque iſtis etiam adhuc per-
durantibus, hymnorum agmen in Eccleſiam irrupit, Iconola-
tris adeo efferveſcentibus, ut ſi unius forte ſancti ſtatua aut

C

pi-

pictura suo deturbaretur loco, decem alias erigerent, suisque canticis celebrarent. Et fato contigit, ut Menæorum quædam volumina in manus Theodori Studitæ incidere, quorum cum multi Sancti adhuc illaudati essent, Theodorus operam suos inter Monachos, millenarium numerum excedentes diuisit, a quibus tandem maximam hymnorum in Menæis contentorum partem compositam puto, quum ipse Theodorus in Triodio, isto munere egregie perfunctus fuerit.

§. XXII.

Atque exinde constat, aucta Ecclesiæ ætate, & religione propemodum in superstitionem versa, Hymnos non Numinis aut Trinitatis laudes, sed Martyrum, Pseudo Martyrum, Confessorum, Præsulum dignorum, indignorum, seditiosorum plerumque hominum, & Monachorum encomia continuisse, tanto longiore anfractu recitata, quo uberius lucrum ex illa recitatione redundabat: eaque propter hymnos suam naturam veluti exuisse; quæ in eo constat, ut Deum solum sibi celebrandum sumat.

§. XXIII.

Quantumvis autem ea insignis esset mutatio, illud tamen juxta fatendum, a Lectione vel cantu Psalmorum nunquam non initium esse factum, eaque propter in ordinem, cui Stichologia nomen, a Græcis dispositos fuisse, qua Stichologia finita hymni, vel Triadici, despotici sequebantur, verbis Scripturæ, quo longius retro abeas, compositi, ita, ut licet artificium aliquod humanum in compositione verborum deprehenderetur, verba tamen ipsa ex Sacra Scriptura depromerentur. Ex *Acoluthia Cyriilli*, Archiepiscopi Alexandrini liquet, duos ab ipso canentium choros constitutos fuisse, quorum unus *σὺν* ex Psalmis haustum caneret, alter Tropario a Præsule composito responderet;

ret; quod occentandi genus plus quam centies repetitum videmus, v. Triod. p. 432.

§. XXIV.

Posteaquam vero difficile videretur Hymnos Scripturæ verbis tantum componere, quum Sanctorum laudandorum numerus molem Sacrorum librorum longe superaret, tum suis quidem verbis uti cœperunt, sed ita tamen, ut laudes & troparia ad veterum Canticorum exemplar adornarent, quæ, quod exempli loco essent, inde Hirmorum nomen acceperunt, solentque omnibus recentiorum Hymnis præponi, declaraturi, vatem eo velut ὑποδείγματι usum esse. Apparebit illud ex Hirmis Cassianæ, Cassiæ, aut Icasîæ, qui primo ponuntur, quos Marcus Hydruntinus in Tropariis secutus est in Exemplis apponendis ex Triod. p. 441.

Inscriptio: ὁ κανὼν ποίημα Μάρκου Μοναχοῦ ἐπισκόπου Ἱδρῆντος, οἱ δε Εἶρμα
ποίημα γυναικὸς τῆς Κασσίας ὀνομαζομένης.

Hirmus Icasîæ.

Σὲ ἐπὶ τῶν ὑδάτων κρεμάσαντα πᾶσαν τὴν γῆν ἀχέτως ἢ κτίσις κατ-
ιδῆσα ἐν τῷ κρανίῳ κρεμάμενον, θάμβει πολλῶ συνέχειο. ἐκ ἔσιν
ἅγιος πλήν σε κύριε κραυγάζεσα.

Troparium Marci:

Σύμβολα τῆς ταφῆς σε παρέδειξας τὰς ὁράσεις πληθύνσας, νῦν
δὲ τὰ κρύφια σε διετρώσσας, καὶ τοῖς ἐν ἅδῃ, δέσποτα, ἐκ ἔσιν
ἅγιος πλήν σε κύριε κραυγάζεσιν.

Hirmus Icasîæ.

Ἐκκηθὶ Φρίττων ἕρανέ καὶ σαλευθῆτωσαν τὰ θεμέλια τῆς γῆς. ἰδὲ
γὰρ ἐν νεκροῖς λογίζεται ὁ ἐν ὑψίστοις οὐκῶν, καὶ τὰ φῶ σμικρῶ ἐνο-
δοχεῖται. ὃν πᾶντες εὐλογεῖτε, ἱερεῖς ἀνυμνεῖτε, λαὸς ὑπερυψῆ-
τε εἰς πάντας τὰς αἰῶνας.

Troparium Marci.

Δέλυται ἀχραντος ναὸς τὴν πεπτωκυῖαν δε συνίστησι σκινην. Ἄδαμε
 γὰρ τῶ προτέρω δεύτερος, ὁ ἐν ὑψίσις οὐκῶν, κατήλθε μέχρῃς
 ἀδὲ ταμείων. ὃν πᾶδες εὐλογεῖτε, ἱερεῖς ἀνυμνεῖτε, λαὸς ὑπερ-
 ψεθε εἰς πάντας αἰῶνας.

§. XXV.

Atque ex eo colligimus, *Allatium, Du Cangium*, vel ipsos
 etiam Canonum & Canticorum Interpretes Græcos recentio-
 res, *Ligaridium* aliosque, ad quos *Jacobus Goar* provocat, tanquam
 demesticarum rerum peritos, vix satis Hirni naturam expli-
 casse, quum putarent, solius toni gratia apponi consuevisse,
 quum re ipsa essent exemplar, quod Tropariorum auctor, & ra-
 tione rerum & verborum & mensuræ sequeretur.

§. XXVI.

Jam dicendum esset, quo genere carminum Melodi
 usi sint, quemve Poëtarum ex antiquis sibi ad imitandum pro-
 pofuerint; verum, quum antea monuerimus, primos Christi-
 anos istam veluti posteris dedisse legem, ut Scripturæ S. sim-
 plicitatem retinerent, illi instituti tenaces adeo fuerunt, ut si
Joannem Damascenum jambis utentem paucosve alios demas,
 vix ulla Homericas, aut Pindaricas, aut Anacreonticas artes sis
 reperiturus, sed Psalmos Davidis in Græcam linguam trans-
 latis, unicum illorum exemplum fuisse videri, quamvis id
 ipsum sæpius parum feliciter exprimerent. In eo profanos
 eorum fuisse duces dixerim, quod, cum penes ipsos Hymni
 variis Nominibus appellarentur, id ipsum Melodi Sacri affe-
 ctarent.

§. XXVII.

Extant in Bibliotheca Photii Codex Procli, qui nos
 docet, Hymnos veteres in ὑπορχήματα, ἐπινίκες, σκολιὰς, ἐρωτικὰς
 ὑμενοίικας, αἰλλας, παρθενίικας, τρίποδιφορμικὰς, πραγμαλιικὰς, ἐμπορικὰς,

γνω-

γνωμολογικῆς, γεωργικῆς, ἐπισταλτικῆς distributos fuisse. Pari modo Græcia Sacra Hymnos distribuit in Triadicos, Despoticos, Anatolicos, Anastafimos, ἑωθινῶς, ἑσπερινῶς, κανονικῶς, Apostolicos, martyricos, Catanycticos, Megalinarios, Paracleticos, Partenios, θαλασσίμους, νεκρωσίμους, de quibus aliisque eorum generibus, conciaciis, Oecis, tum dicemus, quum de ipsis eorundem Auctoris erit agendum, sed ea tamen modestia, ut quæ ab Allatio, Du Cangio, & Goaro bene dicta sunt, non repetamus.

§. XXVIII.

Itaque nunc tandem profitebor, e quo potissimum fonte istam scripturam sim derivaturus, eo enim indicato, futurum reor, ut ad degustationem illius, tanto alacrius alii accedant. Et putabunt aliqui, brevi id oraculo expediri posse, quum in promptu sint & Nazianzeni, & Apollinaris, Synesii, aliorumque carmina: verum ut non negemus, ex iis cognosci posse, qua ratione Theologia sit carmini inferenda, attamen quum illi sint admodum pauci, atque vix constet, eorundem versus inter ecclesiæ cantilenas publicas receptos esse, quam Psalmis solis Prophetis que canticis personasse puto, alio utique mihi abeundum fuit.

§. XXIX.

Jam equidem aliquot eorum Petrarum etitierant, interque eos *Joannes Euchaitarum* Metropolitanus & *Joannes Geometra*: ille Etonæ Ao. MDCX. hic Parisiis MDXCI. at quum eos accuratius contempleremur, apparuit, pauca eorum esse carmina & elegias, easque tales, quas exceptis ad D. Virginem Chæretismis, Ecclesia Græca ignoraret. Unde ad alios multoque uberioribus fontes abii, nempe ad libros Liturgicos. Menæa, Triodia, Paracletica, Pentecostaria, Hirmologia, Horologia, raro apud nos visa, ac propterea a Theologis vix citata, addo etiam

ob malam Allatii commendationem ante explorationem ferme invisa & fastidita. De his Menæis, quæque exinde derivata sunt, Anthologiis, id monendum, fuisse jam pridem in Ecclesiam Græcam introducta, eaque per VIII. Secula usitata, quod temere alii in lectione veterum versati vel plane negant, vel fraudes suas eo dirigunt, ut quæ in ista Græcorum Liturgia adhuc bona sunt, plane pervertant. Quam *Leonis Allatii*, acerbitate ingenii nunquam non laborantis, versutiam fuisse, plane affirmo.

§. XXX.

Nec multo melius de Menæis *Historiographi Sanctorum* censuerunt, quanquam eorum diligentiam & iudicium nemo nisi invidus negaverit: veruntamen ita in hoc capite occultant sententiam, ut nihil certi de eorum ætate sese affirmare posse profiteantur. Et forte adversus eorum auctoritatem aliquid dicere reveriti sunt & *Adrianus* Bailletus* & *Tillemontius*, quo factum, ut & ipsi Menæorum existimationem elevent. Hos antesignanos sequitur vir eruditus & Artis Criticæ non ignarus *Honoratus a St. Maria*, *** sodalitati Carmeliticæ adscriptus, Dissertatione II. de Regulis & usu Artis Criticæ: Verum etsi ipse de auctoritate ac pondere illorum librorum non plane certus sit, vel ex eo tamen iudicavit, eos non plane esse respuendos, quod *Historiographi Sanctorum* in iis, quæ ad Ecclesiam Græcam pertinebant, fidem illorum nihilominus fuerint secuti.

Ita

* *Baillet* Discours sur l'Histoire de la vie des saints T. I. p. 54. Plurimi putant Joannem Damascenum autorem esse vitarum contractarum de Sanctis. Sed non videtur, nec Menæa, nec Menologia tam antiqua esse. Quin imo dubitandi locus est, num *Simeonis Metaphrastis* ætate qui Seculo X. defunctus est, ea qua hodie forma videntur, cognita fuerint.

Til-

§. XXXI.

Ita igitur me operæ pretium facturum spero, si his partim viris, juxtaque aliis ostendam, Menæa non nuper, aut altero, tertiove abhinc seculo esse inventa, sed origines aut usum potius ab VIII. Seculis repetendum esse. Id quod *Theodori Studite* potissimum testimonio confirmo, qui L. Epistolarum per *Sirmondum* editarum I. ait: ἐγένετό μοι πολλῶν ἐνλευξίς μαρτυρίων ἐν δώδεκα δέλοις ἀπογεγραμμένα, ὡς παλαιὰ θῆναι τὴν καρδίαν καὶ μηδὲ τελευτᾶν λέγειν ὅτι ἔπαθον διὰ χριστόν. Ex iis *Theodori* verbis fidem suam habentibus colligo, illius ætate, quæ in Annum DCCCXIII. incidit, extitisse Menæa; an vero illa tanto hymnorum numero, qui nunc reperitur, fuerint referta, id non definio, sed existimo, crebra crescentibus annis accessionem factam esse, idque *Theodoro* suam operam conferente, quippe cujus studio omnes ferme hymni quadragesimales confecti sunt, cum antea ab *Andrea Cretenſi* & *Cosma Majumensihaud* pauci compositi forent. In magna enim Monachorum, Studium incolentium, copia, haud pauci artis Poeticæ gnari, Martyres sibi & Confessores, prudentiores, Deum ac Servatorem Christum

T. V. Op. Sir-
mondi p. 216.
227.

** *Tillemont* Præf. ad II. Eccl. T. I. p. XIX. On n'a pas été obligé d'avoir même respect pour les histoires des Menées des Grecs venus en des temps où la vérité de l'histoire estoit alterée par diverse tradition populaires, & souvent par des fictions inventées a dessein.

** *Honoratus a S. Maria*. T. I. p. 181. Ces Critiques ont pourtant recours assez souvent aux Menées des Grecs, & paroissent n'être pas toujours de si difficile composition a leur egard. Ms. *Tillemont* ne fait pas difficulté de charger son Texte en plusieurs endroits du temoignage de Menées, L'on voit, que sans aucun Cor. élif, il s'appuye uniquement sur les Menées, & Ms. *Baillet* en a pris plusieurs des choses, pource qui regarde des faits historiques.

stum collaudandum sumfere, quum indecorum haberetur rebus profanis, nec ad religionis incrementum aliquid conferentibus studere. Atque ita arbitror, peritis negotium fuisse distributum, Martyresque hymnis exornatos, quemadmodum apud Latinos *Wandelbertus* atque postrema ætate *Nic. Brautisarsinas*, & apud Hispanos alii, inter Hymnodos Latinos per me recensendi, id egerunt.

§ XXXII

Equidem Joannis Mauropodis Euchaitarum Metropolita, Seculo XI. viventis, tempore tanta forte Menæorum moles, qualis nunc est, non cernebatur, attamen jam tum Menæorum nomine veniebant, quod ipsiusmet Joannis verbis confirmo, quæ Menæis inscriptit, sub hoc titulo p. 69.

Ἐἰς τὰ δωρηθέντα Μηνᾶια εἰς Ἐυχαιῖτα
 Ἵμνων ἐπελθὼν ἡμερησίων βίβλους
 Πᾶσαν τετέτων τὴν γραφὴν ἐπιζήσας
 Καὶ χεῖρα καὶ νῦν ὡς ἐνὶ καταρτίσας
 Δῶρον φίλω δίδωμι καὶ μάλα πρέπον
 Τῷ προσατέντι τῷ τόπῃ σεφεφόρῳ,
 Ὃς ἐνδον ὀικεῖ τῆς δε τῆς Ἐκκλησίας
 δι' ἧς τύχοιμι τῆς ἀκριάτης βίβλος
 Τῇ χειρὶ τῷ πλάσαντος ἐγγεγραμμένος.

Altera eorundem Inscriptio.

Ὁυ πῶλλα μὲν, κράτιστα πάντα δ' ἐνθάδε
 ἐκὰν γὰρ εὐρεῖς ἀλλαχῆ τὰ βελτίω
 ἐβελόμην δὲ τὰυτα μὲν τίπτερ μένειν
 ἀντιγράφων εἶναι δὲ τὴν ὑπεργίαν

§. XXXIII.

Hanc Inscriptionem *Leo Allatius* in Dissertatione de Libris Graecorum Ecclesiasticis plane pervertit, non quod Græcanon nosset, sed ut illa contorsione Menæorum auctoritatem jam *Joannis Euchaitæ* ætate validam labefactaret. Cumque ex eisdem vita commode Menæorum, ad usus Ecclesiasticos adhi-

bi-

ditorum aetatem constituere potuisset, odio tamen in Ecclesiam Græcam flagrans, id facere prætermisit, vid. Allat. apud CL. Fabricium Bibl. Gr. T. V. p. 57. & 58. Vixit Joannes Euchaita Seculo XI. quod liquet ex Jambis Constantino Monomacho Imperatori dedicatis, appellavitque Menæα *ἡμερησίων ὕμνων βιβλος* quotidianorum hymnorum libros, quod ex asse cum structura hymnorum convenit, in quibus uniuscujusque diei Liturgia plane continetur. Hos hymnos Joannis tempore fuisse solennes, τὸ ἡμερησίων designat, neque enim ille tanti ponderis erat, ut nisi jam tum hymni *ἡμερησίοι* fuissent, ipse tales reddere posset. Juxta videmus, hujus Præfulis aetate jam multos extitisse hymnos, sed ipsum *κράτιστα* tantum selegisse, reliquis ingenio, aut orthodoxia qualis tum erat, carentibus, procul ablegatis. Non opus igitur erat Historiographis Sanctorum, ut in usu Menæorum ad annos adstringendo tantopore fluctuarent, quemadmodum in vita S. Agathæ die V. Febr. fecerunt scribendo: *Inter Petri & Antonini aetatem collecta videntur magna Menæa Græcorum, etsi id nondum nobis plane constet.* Chronologia enim cum

Acta Sanct. M.
Feb. T. I. p. 604.

§. XXXIV.

Itaque a Joannis aetate Menæa in corpus esse compacta, & cujusque diei Acoluthiam recitatam omnino certum est: inque eo ordine constituendo Majorum hymnos simul fuisse intextos nemo negabit, etsi eorum nomina, aut perfide, aut improvidea Canonum collectore plerumque sint neglecta. Recentiores tamen, ut suæ famæ & immortalitati apud posteros consulerent, odas per Acrostichides ita composuere, ut Stichorum iniciales literæ in unum collectæ, & certum sensum & Poëtæ nomen exhiberent, quæ Metrophanis, Cosmæ, Jose-

D

phi

phi, Theophanis, Theodori, aliorumque consuetudo fuit. Eodem artificio impedire cupiebant, ne qua versus vel stichi eximerentur, & a suo auctore ad alium transferrentur; veruntamen spe sua exciderunt, siquidem Menæa pariter & Anthologia ostendunt, omnes propemodum odas misere esse discerptas, aliorum insertione mixtas, ut raro Canonem deprehendas, in quo Acrostichis puro continuoque ordine defluat: quod ideo notandum, ut si quis Canonum boni probique auctoris Nomen præferat, inque eo simul stichi erroribus pleni reperiantur, illi non ad præscriptum auctorem, sed alium quemvis recentem impostorem referantur.

§. XXXV.

Ex his Menæis & reliquis Græcorum Libris Ecclesiasticis Leo Allatius suum sine dubio Catalogum excerpterat, quoniam omnium nomina in iisdem reperiuntur: at quæ aliis obrueretur negotiis, quo minus ætatem & vitam Melodorum indagare posset, aut Theologiam studio indagare, aut confiteri noller, Græcos pariter Romanosque puriorem doctrinam missam fecisse, neque ubivis eam orthodoxiam reperiri, quam ipse & Historiographi Sanctorum collaudassent: nudis orbem promissis alere placuit more Tiberiano, qui itendidem suum in Provincias vel reditum ad Romanos simulans utroque tandem misere decepit. Nos igitur, sed tenuitatem ingenii professi id explere studebimus, ita, ut juxta Seculorum decursum Hymnodia in initia, & incrementa ostendamus, Melodos Allatio neglectos aut ignoratos inferamus, quædam Theologiae capita expendamus, illud unicum inde lucrum expetentes, ut majus alicubi desiderium ista volumina pervolvendi, suumque & publicum commodum inde promovendi doctioribus nascatur.

ANGELI MELODORUM ANTESIGNANI.

§. I.

Inter Melodos nostros primi omnium progrediantur Angeli, non Ebraeæ tantum, sed & Græcorum genti pulcherrimum Numinis collaudandi Exemplum dantes. Id quod illico præstantissimi Vatis Tragici Jobi suffragio confirmo Cap. XXXVIII. v. IV. *אִיפֹה ה' וְיִרְעוּ בְּלִבָּי וְיִרְעוּ בְּלִבָּי אֱלֹהִים:* In his enim exercitus Deum laudans sub nomine stellarum matutinarum proponitur, nobis eo usque collustrandus, ut appareat, exemplum a creatura tanto intellectus lumine prædita datum, tanto validius amulandi incitamentum dedisse.

§. II.

Pertinet vocabulam כִּכְבִּי primario ad stellas noctem collustrantes Gen. I. v. XVI. passimque alibi. Neque negamus, hunc frequentissimum vocis usum esse, ex quo nonnulli interpretum, primo vocis significato ducti, stellis conjunctim sumtis istam Dei laudem adscripserunt. *Aben Ezra VII. Planetas designavit, cujus inanitatem Schmidius ridet. Sed pauci Patrum istam sententiam amplexi fuere. Petrus Cellensis Sermone I. per Astra matutina universum orbem intellexit. Mundus ait, antequam esset, sine voce fuit, completa vero creatura, & homine absoluto in paradisi felicitate, vocem laudationis protulit. Unde in Job: cum me laudarent astra matutina, videlicet in principio creationis cum utique obediens æternæ dispositioni universa creatura cursu naturali procederet.*

§. III.

Alii sub stellarum nomine per complexionem ipsas quoque Sphæras in laudis societatem rapiunt, adstipulante Philosophorum quorundam choro, statuentium, e cœli mo-

tu suavissimam Harmoniam, dulcissimosque sonos oriri, & necesse esse ex circumductione orbium sonum nasci, cogente natura, ut in sonum desinat duorum corporum violenta collisio: ad quos *Plato, & Aristoteles, & Isidorus, & Anselmus, & Paulus Venerus* accessere, defensorem sententiæ suæ adversus Basilium & Epiphanium nacti *Alphonsum Mendozam*, pertendentem, coeli concentus Musicos licet a nobis ob distantiam non percipiantur, quam certissimos esse.

§. IV.

Verum nos hisce missis statuimus, a Jobo Angelos denotari, ideo, quod Stellæ vocabulum Creaturis rationalibus fuerit inditum: nempe in vaticinio Bileami, Messæ per susceptionem carnis humanæ ad nos accessuro Stellæ nomen inditur, ut taceam totam gentem Israëliticam sub stellarum Symbolo designatam, & Angelo per superbiam sibi supplicium suum acceleranti Stellæ nomen impertitum esse.

§. V.

Hos postquam Jobus Stellas ob recentem creationem dixisset, quippe qui ex profundiore temporum abyssu accensendi non sunt, *Filios Dei* appellat, nomine non nisi creaturæ ratione præditæ competenti, contra *Cajetanum*, qui astra Filios Dei dici putat ideo, quod sint sub gubernatione Dei tanquam filii, debili sane argumento; etiamsi enim Deus sape in oraculis divinis omnium rerum Conditor & Parens dicatur, vix tamen reperitur, creaturas Dei filios dici. Rationem reddit Hieronymus, quod Filius in Scriptura s. sit voluntate, non necessitate naturæ. Eaque propter Angeli eo tempore conditi, soli insigne illud elogium Filiorum Dei, gratia quippe & gloria excellentæ præditi, possidebant.

§. VI.

§. VI.

Quod quum ex nominibus pateat, jam consensu veterum istud confirmabo. Extat *Basilii Seleuckenſis* Oratio I. ita sanciens: Recens creatæ Angelorum myriades, quæ fierent, videbant, eum vero, qui faceret, non videbant, nam quod in essentia divina supra divinam contemplationem est, Angelorum quoque oculos supervadit. Hoc igitur percussi spectaculo ad cognitionem & hymnum servatoris convertuntur, & denuo Spectaculi stupore correpti, ad singula, quæ fiebant, festis acclamationibus conditorem prosequiebantur. E Latinis *Serenus Abbas* apud *Cassianum* Collect. VIII. Cap. VII. *Stellas matutinas* de Angelis interpretatur. Ante conditionem, ait, hujus visibilis creaturæ, spiritales coelestesque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso, quod scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficiis Creatoris ex nihilo fuisse productos, perpetuas ei gratias referentes indefinenter ejus laudibus inhaerent. Atque illa quidem *Sereni* verba laudabilia sunt: quum vero putat, angelos ante orbis secula conditos esse, eosque, qui aliter sentiant, incongrue & humiliter sentire, in eo sententiam nostram ipsi denegamus.

§. VII.

Anastasius Sinaita per *Astra matutina* angelos agnoscit, sed nimis intempestive laudes istas detorquet ad illud tempus, quo *Christus Phosphorus* ex *Maria* virgine progressus est. Hoc enim *Mysterium* tum Angelos latuisse putamus. *Ambrosius Autbertus* non ignobilis *Scripturæ* interpres, licet de Θεοπνευσία falso glorians, id ipsum ad stipulante *Agobardo* confitetur. Hanc veram ait *Trinitatem* veramque unitatem laudant in excelsis omnes *Angeli &c.* demisit lapidem angularem, cum laudarent eum simul *astra matutina*.

§. VIII.

Bruno Apsensis, quem sanctissimum doctorem & lucidissimum sydus inter scripturæ expositores vocant *Alfonsus Squadronus*, *Marcus Marchesius*, & *Philippus Malabaye*, non angelos tantum, sed & homines sub eo vocabulo describi putat, hoc insuper addito, Angelos priusquam fierent, in ipsa dispositione Deum laudasse: *Ipsi omnes Deum laudabant, & ineffabiliter jubilabant: nam priusquam fierent, in ipsa Dei dispositione id faciebant. Ut enim de nobis sumamus exemplum, quando nos aliquid facere disponimus, ipsa dispositio nostra nos nobis commendat: Quod non capio: hac enim ratione non Angeli laudassent Deum, sed Deus potius suum approbasse consilium dicendus esset.*

§. IX.

Odo Cluniacensis L. XXVIII. in Jobum sub stellæ nomine angelos cernit, sed ideo matutinos putat dictos esse, quod tempestive verbi annunciatione homines a periculo avertant; quod ipsi ignoscendum.

§. X.

His Sanctus genis a divino oraculo *Laus & Pæan* adscribitur. וְיָבִיחַ vox elata, quæ ab aliis percipi queat: quam illius constantissimam esse Emphasin, omnia Scripturæ loca vocem exhibentia declarant. Et puto, inde nobis viam sterni ad cantus angelici naturam rectius penetrandam. Dubitarunt aliqui, laudem angelicam de sensibili voce accipiendam esse, quos inter nominatim *Svaresius* T. I. de Relig. L. I. de Or. C. V. in eam abiit sententiam, Laudem Angelorum esse tantum Mentalem, & consummari in actu voluntatis ordinantis æstimationem divinæ excellentiæ: quod ideo factum puto, quia *Joannes Damascenus* Angelos ἀύλη, ἢ γλώσσης καὶ ἀκοῆς δεομένους, ἄνευ λόγου προφορικῆ μεταδιδόντας ἀλλήλοις τὰ ἴδια νοήματα describat. Sed non satis causæ *Svaresio* inde natum esse, ut sensibilem Angelorum vocem negaret, *Hurtadus Mendoza* in Academia Hispanensi eundem Anno R. S. MDC XLI. refutans declaravit, *Laus ait perennis & jugis, quam*

quam Angeli canunt Deo, est perpetua cum illo collocutio, admirantiam ejus excellentiam, divinitatem, fortitudinem, virtutem. Locutio autem non consummatur in voluntate, sed in intellectu; nisi enim requiratur voluntatis ordinatio, tum ut quis loquatur verbo mentali, tum ut aliis loquatur: ex qua ordinatione ut a radice pullulat, ut id quod creaturis erat occultum, manifestetur: tamen Locutio est conceptuum manifestatio practica: Unde Laus nequit consistere in voluntate ordinante, neque in recognitione divinae excellentiae, sed in manifestatione conceptuum, quos de Deo formant Angeli.

§. XI.

Istam *Hurtadi* Opinionem tanto minus profligandam puto, quo magis illa ad divina oracula, & Hymnodiam Angelicam accedit, ita omni tempore descriptam, ut sonus illius ad mortalium aures accesserit. Et habet illa *Mendoza* decisio suffragia Patrum, *Augustini* non negantis, numeros illos esse quasi corporales, in corporibus incorruptibilibus & spiritualibus, quum anima eorum adeo sit firma & perfecta, ut numeris corporalibus non avertatur a contemplatione sapientiae: tum *Thomae Aquinatis* dicentis: in ore ἱεραγγέλω fore laudem vocalem, ut auris non audiat, nisi laudes Dei, eamque non impediri putat ex natura caeli empyrei, cui nullum ex illa laudatione vocali damnum immineat, ut potius sit instrumentum motum a Lingua gloriosa, & materiae vocis prolatae in laudem Dei. Hinc ait: non fas esse dubitare apud Catholicos, in curia triumphantis Ecclesiae esse choros Angelorum, qui voce, & quidem propria canant. Sicut enim certissimum, Angelos vere & proprie tam cum Deo, quam inter se & cum hominibus loqui, ita & certissimum esse, eos Hymnodias in laudem Dei canere, etsi corpora non assumant, & difficillimum sit explicatu, quomodo sine assumtis corporibus proprie canant.

§. XII.

Jam quum verosimile sit, Angelos laudem eamque vocalem Deo cecinisse, definiendum foret, quales illae fuerint laudes? Et quum illud difficultate non careat, non meas, sed aliorum divinationes promam. Nempe Ecclesia antiqua credidit, non alium Hymnum ab Angelis Deo dictum esse, quam quem *Elaias* deinceps audiit. Unde


&c.

AK III 2805

& ipsa Angelorum exemplum imitatura in Præfatione Hymni Doxastici ait: *Ideo cum Angelis & Archangelis, cum thronis & dominationibus, cumque omni militia celestis exercitus, Hymnum gloria tua canimus sine fine dicentes. Sanctus &c.* Ex hac enim clausula sine fine, colligere licet, Patres hunc Hymnum perenne Angelorum carmen existimasse. Id quod testati sunt in Hymnis, intra quos repetunt, Angelos id ἀδιαλείπτως & ἀπάντως agere. Ex Latinis Interpretibus sigillatim Bolducci ad Caput Jobi XXXVIII. ita censuit: Primi, ait, in eo Melodorum genere fuerunt Seraphini, qui jam ab illo mundi exordio, statimque ac creati sunt, inchoarunt τρισάγιον Hymnum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Zebaoth. In quo et si Scripturæ S. testimonio destituatur, attamen, quum quæ in illo cantico continentur, sint æternæ veritatis capita, non poterat non illa veritas perpetim ab iisdem celebrari. Bolducci opinio a Joanne Chrysostomo firmatur, in Oratione de Seraphim Tom. III. p. 77 I. ἐξ ἧς γεγονόασι, μέχρι νῦν ὀρῶσαι τὴν δόξαν ἐκείνην, μηδέποτε ἐπαύσαντο μετ' ἐκπλήξεως βοᾶσαι. Ex quo esse coeperunt, ad hunc usque diem gloriam illam intuentes cum stupore clamare non cessant. Et paulo post: πρότερον μὲν γὰρ ἐν τοῖς ἔρανοις ἔτος ἡσασθό μόνον ὁ ὕμνος, ἐπειδὴ δὲ ἐπιβῆναι τῆς γῆς κατήξιώσεν ὁ δεσπότης, καὶ τὴν μελωδίαν ταύτην κατήνεγκε πρὸς ἡμᾶς. Antea quidem in coelis tantum hymnus ille cantabatur: postquam autem in terram venire dignatus est Dominus, hunc etiam concentum ad nos detulit. Et hanc rationem esse puto, ob quam reliqui Patres accurata Theologiæ cognitione imbuti in descriptione naturæ Angelicæ illud addiderint, Angelum esse ζῶον λογικόν, αἰυλον, ὕμολογικόν, quam Athanasii sententiam suam B. Gerhardus fecit Loc. de Angelis, & Joan. Damascenus ἐν ἔργον ἔχουσι ὕμνεῖν τὸν Θεὸν καὶ λειτεργεῖν. Unicum illud opus habeat, ut Numen celebrent, illique servitla præstent.



AC. (x2298539)



Q.K.
415,
14.

Π i
2805

HISTORIAM
MELODORUM
ECCLESIAE GRÆCÆ

EORUMQUE

THEOLOGIAM POETICAM

è Menæis Librisqve Liturgicis
SUMME REV. FACULT. THEOL. LIPS.
Examini Die III. & IV. Julii instituendo
tradit

LICENTIAM GRADUS IN THEOLOGIA ALTIORIS

PETENS

URBANUS GODOFR. SIBERUS,

Antiqu. Eccl. P. P. O. & ad D.
Th. Ecclesiastes.

IMPRESSIT CHRIST. FRIDER. RUMPF.

A.R.S. M DCC XIV.

